Cracov. Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. ord.
1721. die 24 Maii.

~~Poczta 1887~~

Belli Jacobi Bonar: Amoenitas laurearum XXVI. VV. DD. secundae laureae Candidatis post rigidum examinis certamen explicata.

AMOENITAS LAUREARUM

XXVI. VV. DD. Secundæ Laureæ Candidatis,
Post rigidum examinis certamen,
FAVONIO GRATIARUM
CELSISSIMI PRINCIPIS,
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,

D. CONSTANTINI FELICIANI

in SZANIAWY,

SZANIAWSKI

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI CRACOVIENSIS, DUCIS SEVERIÆ,
Almæ Universitatis Cracoviensis
CANCELLARII FAVENTISSIMI,
INDUCTA:
Et dum ijdem VV. DD. CANDIDATI
Magisterij in Artibus LL. & in Philosophia Doctoratûs Licentiam,
à Perillustri & Reverendissimo Domino,

D. M. ANDREA KRUPECKI

V. I. DOCTORE & PROFESSORE, Ecclesiarum Cathedralis Crac: CANONIC[O]
Premykoviensis & in Niegardow CURATO, Contubernij Jurisp: PROVISOR[E]
Canonizat: B. JOANNIS CANTII Procur: Studij Almæ Univer: Crac.
PROCANCELLARIO.
Solenni ritu reciperent.
Fraterni Affectûs gratiâ
Spiritu Pòëticô
A JACOBO BONAVENTURA BELLI Leopol.
Ejusdem Laureæ Candidatô
EXPLICATA.
Anno, quo Amænum salutis nostræ ver in Horto Conclusô DEUS HOMO explicuit. 1721. *Die 24. Maji.*

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Avitum Insigne
ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI
ARCHIPRÆSVLIS.



ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO, D. JOANNI SKARBEK,

DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI,

Domino & Patrono Amplisſimo.

E Regio Palladis Iagellonicæ Laureto, Athleticô ſtudio productæ Laureæ, ubi fronte lætâ ſuſcipi cupiunt, ſimul etiam amænum ſe Protegentis expoſcunt ſupercilium. ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE. *Laurearum etenim ea indoles eſt, illi ſe ſubtrahere loco, ubi minimè favorum & gratiarum experiuntur vigorem. Hinc ubinam nova hæc Academicarum Laurearum ſoboles amæniorem invenire poſſet ſtationem, non videt: præterquàm in Tuo*

ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME *conſpectu. Ad frontis quippè Tuæ Majeſtatem, quid non Serenum? ad aſpectum quid non amænum? ideò cuncta in Te uno lætitiæ hauriunt fontem, præ cæteris tamen Pallas potiùs & avidiùs, cui eò dulciùs ex Caſtallijs rivis, & ſuavî Hypocrene undæ placent, quò magis ex Te larga benevolentiæ fluenta illi decurrunt. Verè* PRINCIPEM *Te literarum & Literatorum illa noſcit & colit, ſub Tui Nominis Patrocinio ſuas laureas ludere ſæpiùs ducit ſolenniſſimum. Quod ideò fortè fit, quia inſignitam potiori charactere* ABDANK *Domum Tuam advertens, genuinum reputat atheneum. In illam quoties hæc partas ſudore laurus defert, illis vigorem, ſplendorem, imò quidquid ad laureatum decus prætenditur, totum id adinvenit. Planè promptuarium Minervæ Domus Tua juſtiùs convenientiùſq; dici poteſt, è qua toties favorum documenta recipit, quoties ad poſtes illius cum eo, qua par eſt cultu devolvitur. Et quod efficaciùs, ipſe Tu Palladianum ærarium diceris, non quia à Majoribus Tuis pretium Nominis habeas, ſed quia ſacratioris eruditionis Cymmelia, univerſa Sapientiæ Numina in TE reponenda cenſuerunt. Itaq; à frontis Tuæ Majeſtate & Gratiæ prominent, & Muſæ ſaliunt, utræq; etiam citra Nominis Tui pretium æſtimatiſſimæ. Noverat id perbellè Roxolani Orbis genius, qui ſuam ſtabiliturus felicitatem, gaudet Archipræſuleum ſui* TIBI *conceſſum eſſe pedum, cui innixus, è cardine fortunato non dimovetur. Noverant etiam nunc ſacro Tuo imperio ſubjectorum Populorum deſideria, quòd non elegiſſent elegantem felicium temporum curſivam, niſi Te Archipræſulum Prototypum in Metropolitana Ruſſiæ Cathedra collocaſſent. Legunt igitur imò jam proſperitatis exercent characteres, quia Tu propoſitus in exemplar, ut non alios ſed tales efforment, commendas. Quid dira nuper peſtilentiæ illuvies eſt adepta, ad quem finem Veſanus corrupti àëris devenit furor. Corpora quidem alliſit feretris, nec tamen animis nocuiſſe potuit, quibus Tu ſacrorum Præſes vim & robur inſtillaſti. Sic animabantur Spiritus ad luctam, Te infractô Duce animorum, ſic & vires ſuppetebant in agone Te palmam ſalutis pollicente. Cupreſſos quidem ferales undequàq; nectebant*

fata

fata, illas tamen, quæ Tuâ Archipræsul Virtute facilè abirent in Laureas. Implacabile Parcarum genus vix cuiq; parcebat, inveniebatur tamen apud TE Indulgentia, cum subsidia salutis omnibus non negares. Ita communes lacrymas in gemmeam lætitiam videbaris immutare, cum sic lenijsses Archidiaceseós Tuæ dolores, ut tandem intra breve temporis interstitium ad metam gaudiorum deventrent. Talem tantumq; Archipræsulem, sic bono publico incumbentem Leoburgici adorant montes, & non tam horum montium onere, quàm gratiarum Tuarum pondere pressus Leo veneratur. Gaudet ille intentâ pupillâ in TE, & magni generis splendores intueri, & illustria Virtutum opera contemplari. Nec piget illum præstare se vigilem in applausus, ubi sua vigilantia pretiò Tuorum favorum compensatur. Nunc tandem verè aureos colles attollere nititur, intra quos Tu sæculi nostri depositum verè aureum asservaris. Si etenim tam Tua, quàm Illustrissimorum Majorum Tuorum pensentur librenturq; Merita, utrinquè pondus, undiq; valor. Et exinde tanta TIBI surgit gloria, quæ totum sparsa per Orbem, divulgat Tua ARCHIPRÆSVL Nomina, scribenda Fastis, insculpenda Cedro, ac tandem efferenda sub laudis maximæ fastigia. Quanquàm satis abundè Majores Tui Te sæculis locuti, quorum quot facta, tot lingvæ in encomium Tuum paratissimæ. Audiris inter Romanos resonus colles, imò ad Cæsarum thesauros æstimaris, Te ibi commendante IOANNE SKARBEK ad Henricum Imperatorem Romanum Legatô. Miraculô hucusq; est Orbi illius in loquendo dexteritas, qui hoc ostendisse visus, posse Sarmatas etiam posthabitis armis facundiâ hostes vincere, verbis emollire, etsi duriores sint, aurea ILLVSTRISSIMORVM SKARBKORVM resolutione infringere. Quod certè lætâ fronte Polonia conspexit in tot immanitate barbaris gentibus suppressis domitisq; solô illô acinace, quem Majores Tui evibrarunt. Recensendi hoc forent, si levem paginam non abhorrerent ILLVSTRISSIMI TRIAVI, Abaviq; Tui quorum bellica virtus, stupor Orbis, Consilij maturitas ac efficacia, admiratio. Singuli illi à Fascibus honorati, & à tot dignitatum insignijs celeberrimi. Illis uti Virtus socia, ita

gloria pedissequa, sequitur euntes, & ut subintrent perennaturæ famæ penetralia, adhortatur. Hunc ego Domûs Tuæ ILLVSTRISSIMÆ *conspiciens nitorem, convincor, ut non alibi secundis nostris Laureis figam locum, quàm ad postes Tuos* ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME. *Hic certè certam Amœnitati suæ inveniet stationem, illi Tibi approximantes, qui benevolentiæ radijs amœna quævis accendere consvevisti. Quare ad Archipræsuleas* ILLVSTRISSIMÆ & REVERENDISSIMÆ CELSITVDINIS VESTRÆ *provolutus plantas, ijsdem laureatum hoc decus substerno, solis his assurgens votis, ut Te votò omnium æstimatissimum Pontificem benigniores Cœli diu servent incolumem, sicq; servato intra longos decurrentis vitæ dies omnium felicitatum, & ad vota fluentium successuum explicent amœnitatem. Quod supplex voveo.*

Illustrissimæ & Reverendissimæ
Celsitudinis Vestræ

Clientum minimus

JACOBUS BONAVENTURA
BELLI Leop.
Secundæ Laureæ Candidatus,
Author Operis.

SANCTISSIMO
piæ Eruditionis Prototypo,
Singulari Literarum Literatorumquè FAUTORI & PROTECTORI, REGNI POLONIÆ & UNIVERSITATIS Crac.
PATRONO,
D. JOANNI CANTIO,
Sacræ Theologiæ Doctori & Professori,
in perennis gratitudinis Vectigal,

ODE.

Cum Epigraphe: *Descende Cælò dulcis Amœnitas:*

CElsis polorum prospice sedibus,
Opem fer altam, Dive Pater Tuæ,
Quam cernis, acclinem cohortem,
Pierijs pariture votis.
Tu meta nostræ, gloria Tu Scholæ,
Apex Studentûm, tum potior via,
Quâ sub Minervæ culmen adstat,
Cui Sapientia cordis hæres.
Tu nostra Cælis portio sangvinis
Illata quondam, nunc Academicis
Allude lauris ocyor, nam
Te prece sollicitamus omnes.
Non Numen arcti fæderis immemor
Quidquam negabit, non superûm manus
Tardæ, pias Tu dum preces vis,
Cælicolûm facie reponis,

Quàm ſæpè laurus ſinciput occùpat,
Dum dextra CANTI ſe Tua reddere
Promittit almam teſſeram, cum
Laurigeri tituli Coronâ.
Centena jam ter ſæcula Phoſphorus
Reviſit, ut Tu muneris Arbiter
Te Craciæ das profluentem
Pieridi: memor eſto noſtri.
Jam nos Camænis, jam ſocios damus,
Et Cracio ſe ſiſtit Apollini,
Quemcunq; cernis, poſcere à Te
Auxilium, Pater alme; tantùm
Intenta laudans, porrige dexteram,
Ut ſerta noſcant, Te riguô polô
Muſis faventem, dum ſacratum,
Subſidium dare non recuſas.
Non fulminum vis perfida laureas
Petat; polari qui reſides plagâ
Averte conſurgens malum, atquè
Impetibus jacias habenas.
Tu gratus orbi, gratus & ætheri
Hinc ſola cælo ferre velis bona,
Miretur, ut mortalium gens
Corda Tuo benè ſtricta dono.
Quod fauſta tentes è ſuperûm domo
In noſtra terræ fundere climata, ac
Optes aſyllum gratiarum,
Laurigero dare mox honori.
Præſente monſtres illicò gratiâ
Nobis ſtrepentem ſterne viam, precor
Lauro virenti, poſtq; ſacro
Pollice nos benedic; amæna
Ut ducat omnis tempora, ſub Tuo
Qui vult quietus præſidiô, ſuos
Finire motus, ac fieri
Sub patula reſupinus umbrâ.

Per-

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. ANDREÆ KRUPECKI,

I.V. DOCTORI & PROFESSORI, Ecclesiarum Cathedralis Crac. CANONICO, Premykoviensis & in Niegardow CVRATO, Contubernij Iurisperitorum PROVISORI, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procur: Studij Almæ Vniversitatis Crac.

PROCANCELLARIO.

Votum perennis gratitudinis Cliens appendit,

Cum Eprgraphe.

Dies numera meliore lapillô. Persius.

SEgnes rumpe moras, ac excute somnia præstò,
Ut celeri passu, descendas vertice summô,
Pierij montis Præses, lumenq; serenum.
Emeriti Patris spatioso Nomen in orbe
Clarum decantes, Cytharâ fidibusq; canoris.
Ad summam tollas ædem, stellantis Olympi.
Dicta probat plaudens, ac dulcia plectra resolvit,
Ac vocat Aonidas Parnassi culmine Divas,
Ut lætæ pulchrum Patri pæana reponant.
Nulla mora est illis, etenim simul agmine currunt,
Nec non dulcisonis implent concentibus auras,
Hic Pater est nobis donandus carmine læto.
Cujus in augusto Sapientia pectore regnat.
Virtutes posuêre locum, Prudentia, Candor;
Palladis ad Craciæ sacram vix constitit Aram,
Iam plausum meruit, dignus sub culmine stare
Laudum; nec mitor! nam ut Te Lucina levavit,
Hinc Tibi Castalidum dextræ formare decorum
Cæperunt pectus, prosemper ad omnia promptum.
In Te viventem pridem veneramur amorem
Recti, fatidicus monstrat quem Spiritus atq;
In niveæ flores legimus Candore Senectæ.

Cumq; mòdò fractæ referas ætatis honores,
Illam non Annis fessam, sed pondere duri
Inflexam, Musis præsentas, esse laboris.
Nam quantùm memores possunt ostendere fasti,
Omnia facta Tui debebant marmore scribi.
Has animi dotes vidit Iagelonica Pallas,
Pluraq; fronte Tuâ posuit frondentia serta,
Mox Tibi sub lauro stanti cessêre triumphi,
Ivit honor supplex, tribuit Victoria palmam.
Hic quoties doctam conscendit fortis Arenam,
Ex illa semper celebrandus Victor abivit.
Acta dabant illi laudes, & mille parabant
Munera, sunt alijs fateor quæ sæpè negata.
Has animi gemmas perspexit terna corona
Vavelli, subitòq; Tuo renitere decore
Ambijt, & pretio pretium superaddere duxit.
Ut Rector toties Academica sceptra gerebas,
Innuo, non narro, nec ei sat verba supersunt,
Qui tantos vellet dictis meminisse labores.
Nunc etiam pateat, quantumq; favoribus audes,
Gratia quid possit? quâ Tu devicta Clientum
Pectora tum reddis, dum laurea serta resolvis.
Non etiam nostris desit concentibus istud
Factum, quô superos stringis, reddisq; faventes.
Per Cracios nuper, vulcania fata, Penates
Sic diris ivêre modis, ut multa favillæ
Tecta suum præstò deberent ferre nitorem.
Et Themis Alma fuit, tanti pars maxima fati,
Tu Pater ast pretiô, quàm illius rudera tollis!
Ac facis augustô tangentem vertice Cælos,
In quibus esse Tibi noscas pro munere largô
Munera, sed nostrum pectus sic astra fatigat,
Ut firmum Columen Cracij cynosura lycæi,
Aurea tot vivas, infractus sæcula vitæ,
Quot poscit Virtus, quot gemmea facta merentur,
Et votô nostrûm, piliam transcende senectam,
Atquè dies longos numeres meliore lapillô.

Perillu-

Perillustribus, Clarissimis, & Admodùm Reverendis Dominis.

DD. EXAMINATORIBUS.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MICHAELI PRUSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac: Archidiacono, Regio & Cursûs Vladislaviani Professori, Ordinario & Strzałkoviano Geometræ Philosophicæ Facultatis,

D E C A N O.

Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MATTHIÆ ZIĘTKIEWICZ,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac: CANONICO, Tratnoviano & Cursûs Vladislaviani Professori.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. MELCHIORI KICINSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Matheseôs, & Collegij Minoris, Seniori Professori.

In Argumentum gratitudinis,

ODE.

PHæbus volentem splendidiùs loqui
Factum Virorum, me monet ut chelim
Dum formo, noscam, quanta plectrô
Aggredior recinenda seclis.
Non æquor altum navita prosperè
Transcurrit; undis si tenuem ratem
Committit, & fluctus vadosi
Disijciunt, Thetidis decores.

C Non

Non Marte ſævus miles ad ardua
Procedit audax, ni ſua pectora
Loricâ firmet, ni cruentum
Excipiat manus apta ferrum.
Sed ſi favetis, pegmata gloriæ,
Jam ſcando tutus, jam teneo Tuæ
Famæ tholum, PRUSKI colende;
Purpureô renitens honore.
Ducis decor es, Regia Te Schola
Sufferre poſcit, magnanimus quia
Supponis ultrò comprobatos
Intrepidè gravibus lacertos.
Quid Te fatiget non faciles ſciunt,
Certare tecum, quos animus rapit;
Alcide major, vincis illos,
Si in docilem veniant arenam.
Tu major omnî tolleris impetu,
Certus triumphi, Palladiô cies
Curſu biennalem laborem,
Diſcidium renuens decori.
Quod Orbis ultra Te ſpatium feras,
Quod laudis almæ, in Culmina ſubſilis
Hoc arte præſtas, ac ſecundô
Ingenij Sapientis auſu.
O quâ cheli Tu dignus Apollinis,
Dignus per amplum temporis ambitum
Nervô Sororum, qui ſcientûm
Per memores potes ire faſtos,
Qui lance noſtras Inclyte Dux libras
Dotes, refundant Numina gratiam,
Ad ſumma poſcaris tenenda,
Maxima cum benè mente volvas.
Eſt obligati portio pectoris
Ponenda clari nominis ad Tui
Aram; Corymborumq; rami,
Facta Tui precor ut coronent.
Non ſorte quâdam, ZIĘTKIEVIO rotis
Fortuna plaudit proſperioribus.
Quem docta Pallas donat armis,
Cætera non dubiè ſequentur.

Nego-

Negotiorum Tu vigil Arbiter,
Ad Matris Almæ commoda congruus,
Audes reſiſtendo, ter almâ
Gaudia ferre Parente digna.
Iam Te nitentem purpureus decor
Reddebat Orbi, note ſcholaſticis
Curis Polonæ Palladi; tum
Ad trabeas memores tomoſq́;
Procede felix, fauſtus ad omnium
Accurre mentes, Te juvenis Pugil
Te ſera promulget Scientûm
Ex meritis ſtudioſa proles.
Et tertium non Pierides meæ
Volunt ſilenti mittere barbito,
Ad gratioſum nomen ære,
Hoc cupiunt reſonare votum.
In docta vires prælia, qui dedit,
Et parandum, laurigerum decus
KICINIUS fert competenter.
Hic titulis eat almus orbi.
Ad vota noſtrûm promptior eſt honor
Qui MELCHIOREM promovet altiùs
Planè ſub iſtud tempus, in nos
Dum Superi jaciunt Corymbos.
Sed meta nondum panditur ultima,
Præſente donô largiùs æthere,
Se dignitas quævis tenendam
Porriget atq́; feret decorem,
Sublime Veſtri Nominis innuo,
Non laudo ſignum, Ternio maxime
Excedis omnis laudis altum,
Pectoris undè colas receſſus.
Te corde ſtringat ſollicitus Cliens,
Et qui Coronas excipit è Tuis
Dextris, reponat mille vota,
Lætitiam paritura longam.
Hoc noſtra plaudunt pectora munere,
Ut ſemper in vos dulcis Amænitas
Spargat venuſtæ frontis uſum, &
Per pilios famuletur Annos.

AMOENITAS LAUREARUM,

In VV. Viris ſecundæ Laureæ Candidatis, Poſt rigidum examinis certamen,

EXPLICATA.

II. V. D. PETRO DROPCZYNSKI.

Stemma. Supra ſoleam Crux, cui Avis inſidet, annulũ roſtro ferens. Cum Lemmate: Sic ire decorum.



Ad famæ punctum, pulchrô contendere paſſu,
    Quàm paucis, talis gloria ſorte venit.
DROPCZYNSKI Soleâ diſcis præcurrere multos,
    Dùm ſolidè doctus, tangere cuncta vales.
Sed quamvis velox virtus non eſſet eundi,
    Te volucris pennâ, laudis ad aſtra feret.

III. V. D. JOSEPHO CZESTECKI,

Stemma. Duo Fluvij inter quos medians natat gladius. Cum Lemmate: Terror quoq; gratus in undis. Horat.



Irri-

IRriguîs mediando natet cur Ensis in undis,
Miror; nam dudùm dant elementa fidem.
Sed benè quòd gladiô CZESTECKI flumina rumpas,
Sic varijs rivîs, affluet almus honor.
Et facilè strenuus devinces ardua quæq;
Si cum diviso flumine magna petes.

IV. V. D. JOSEPHO DUKIEWICZ,

Stemma. Tria *Lilia.*
Cum *Lemmate*:
Niveum non perdo *colorem.* Aurelius.



ALba nitent placidôq; vigent hæc Lilia succô,
Si quæris causas, irrigat illa labor.
Artis opus, factumq; probi conaminis ingens,
Lilia cum lauris, lumine pulchra pari.
Cerno nivem morum, scio quôvè colore DUKIEWICZ
Splendeat, & nitidos hac ratione probo.

V. V. D. FLORIANO LACHOWICZ,

Stemma. Cor nomine *Mariæ insignitum.*
Cum Lemmate: *Quippè in corde DEUS.*



COrde premis Cælum, prendis tum pectore Numen,
Cùm donat Nomen, Virgo Maria Tibi.
Est Cælum dives, clauduntur Numine fausta;
Hîs laurum tentam, Te decorare vides.
Et benè procedis, dum Te sub Nomine tantô
In lauro doctæ Palladis esse cupis.

VI. V.D. ANDREÆ KOLENDOWICZ,



Stemma. Cor è quo erumpunt tres flores inter duo sidera. cum Lemmate: Cui non sunt sua pignora Cordi.

PAnde precor pectus, cernes mox pignora Cordis,
Cum lauro flores, cumq; nitore polum.
Nec Capiti solùm, sunt & sua præmia Cordi,
Et melius lucrum, quod dare poscit amor.
Te KOLENDOWICZ Pallas dum stringit amore,
Quid Cordi vellet, dic removere Tuo.

VII. V.D. JACOBO ZACZKIEWICZ,



Stemma. Luna, supra quam Crux. Cum Lemmate: Lunamq; Cælo deripit. Hor.

QUàm benè sidereos animô versare recursus,
Nam talis pretium sideris, Actus habet.
Testor ZACZKIEWICZ, cûi dum sit cura polorum
Tunc ipsi facilè, lucida Luna subest.
Altiùs ergò Tuam Cælis Tu dirige mentem,
Te sol, Saturnus, Mercuriusq; colet.

VIII. V. D. JOSEPHO POPIOŁEK Crac.

Stemma Avitum.
Cum Lemmate:
Victoria flores.



Tres Rosæ.
Produxit Roseos
Tibullus.

NOn alibi quæras hortos, mea Pallas Amœnos,
Te hic recreare poteſt, laurea nexa roſis.
Plantavit pulchris POPIOŁEK dotibûs hortum,
Quô Pæſti vicit, flore ſuperba loca.
Ingeniô cultus, quid non valet edere cultum,
Quòd placeat doctis, quòdvè Minerva legat.

IX. V. D. JOANNI CANTIO MAMCZYNSKI, Crac.

Stemma
Olor, Navis,
Galeam Sagitta
Cum Lemmate:
evolat ſemper.



Gentilitium.
& ſupra
transfigens alas.
In ſublime
Dares Phrygius.

VT valeas metam, portum contingere famæ,
Cygnus adeſt alâ, dat cita vela ratis.
Aſſocias tandem celerem his, in Stemma Sagittam,
Quòd forſan ſummi, tangere puncta velis.
Nec Te MAMCZYNSKI præſtans ſpes ludit honoris,
Hîs Tibi ſe tactum, porriget omne decus.

X. V.D: STANISLAO LUXAROWICZ,

Stemma. Luna, intra resplendet Stella. Cælum mea



cujus Cornua Cum Lemmate: gloria tangit.

LUnam ultrà & Stellas justò prætende Coronam,
Nam menti non est, altera meta Tuæ.
Dignus es hôc donô, quod Cæli sidera pandunt,
Jamq́; favet meritis, laurea pulchra Tuis.
Hinc LUXAROWICZ cælestia signa tenendo,
Quâ precor in terris sorte carere potes.

XI. V.D. STANISLAO SEBASTIANO MAMCZYNSKI, Crac.

Stemma Olor, Navis, Galeam Sagitta Cum Lemmate: in alto est.



Gentilitium. & supra transfigens alas. Tua navis Horatius.

FLumina totq́; maris currunt per devia Naves,
Herculis ast illas, sæpè Columna latet.
Ingenium veniat, talem mox Navita tanget
Metam, quam monstrat [illegible] Columna Tibi;
Tecum jam clarus posthàc [illegible]ulgetur Iason,
Cum Tu tam cultum, reddere discis opus.

XII.

XII. V. D. MARTINO STUDNICKI,

Coloniæ Centhensis Directori.

Stemma. *Tres Fluvij.*
Cum *Lemmate:*
E rivo flumina *magna facis.*



QUis negat, è claris currant quòd flumina rivîs,
Vistula cum Musâ, Rhenus araxe probat.
Tu tria dum nobis STUDNICKI flumina pandis,
Monstras quòd celsîs dotibus illa fluant,
Hæc igitur Superi, Divus tum CANTIUS optet,
Aurea Gangetis vincere dona Tagi.

XIII. V. D. FRANCISCO KUKLENSKI,

Stemma. Leo supra, *murum tenens rosam,*
& alter supraGaleam *Cum Lemmate:*
Munimen habet nullô *quassabile ferro.* Luc.



MÆnia non jactet Trojæ longinqua Vetustas;
His quòd præsidiô, doctus Apollo fuit.
KUKLENII cernis Murum, hunc Sapientia fixit,
Confirmant dotes, & mala cuncta timent.
Hoc superest, ut ubi nunc splendent colla Leonum,
Ex voto Musæ, post spatietur honor.

XIV. V. D. NICOLAO FRANCISCO, PUKINSKI,

Stemma Avitum.
quam Gladius
Victor certamine



Navis, Solea, intra
cum Lemmate:
cursûs Catullus.

PEr mare, per terram graditur Tua fama PUKINSKI,
Cum Soleæ junctam, ducis habere ratem.
Et premis adversos, cunctis & fluctibus instas,
Utraq; tam pulchrè, dona tenere sciens.
Quò cupies igitur, poteris monumenta mereri
Laudum, tam remô quàm celebrande stylô.

XV. V.D. SEBASTIANO KOZIEROWSKI,

Stemma, Aquila, ore
ungvibûs autem
Cum
Procede secundis



Annulum Doctoralem,
biretum gestans.
Lemmate:
alitibûs.

EX Avium nisu sumebant omina quondam
Vates, infaustis & periêre modîs.
Te KOZIEROWSKI felicem dixero quando,
Temporis æterni, Symbola donat Avis.
Nec metuas casus, melioribus utere fatîs,
Annulus est sponsor, quòd Tibi plaudet honor.

XVI.

XVI. V.D. JOANNI PALASZOWSKI,

Stemma. Cum Lemmate:



Tres Rosa. Lætis omne rubebit iter.

TRina Rosæ facies lætô de stemmate ridens,
Successus risu nuntiat illa bonos.
Omine tam faustô, & lauri comitatus honore,
Curre Tibi, lætis omne rubebit iter.
Ingeniô quidquid promptus calcaveris altum,
Id socium placidis intueare rosis.

XVII. V.D. FRANCISCO GOCZYNSKI,

Stemma Sex Columnæ Pyramidales. Cum Lemmate: Alterno radiant splendore Columnæ. Petrarcha.



INconstans habuit tot jam miracula Mundus,
Cuncta statum terris sed tenuêre brevem.
Nos ut speramus GOCZYNSKI firmiùs à Te,
Structa bis existet, trina Columna Tibi.
Et facies certè nova Tu miracula quando,
Erectum nunquam, proruet istud opus.

XVIII.

XVIII. V.D. ALBERTO PŁACZKOWSKI,

Stemma.
Cum Lemmate:
una Sagitta certior.



Sagitta.
Nostra tamen
Ovidius.

QUas acuunt iræ, non eſt his meta Sagittis;
Quam polijt Pallas, certiùs illa volat.
Aſſignet quiſquam PŁACZKOWSKI tangere punctum,
Jam puncto laudis, docta Sagitta venit.
En laurus fuerat votis communibûs una,
Hanc tactam valuit Frater habere citò.

XIX. V.D. BARTHOLOMÆO CIESIELSKI,

Stemma. Solea, ſupra
Cum Lemmate:
D. Venantius



& infra eſt Crux.
ſpes Cruce nititur.
Fortunatus.

SPecto Tuos Actus, quæro veſtigia laudis,
Firma premis Cælo, figis & alma ſolo.
Par magnis animô, poſtquam calcaveris ima,
Hæc Crucis è terrâ, ſigna levare cupis,
Fide DEO cultor virtutis, ſicq; triumpha,
Quòd quid contra Te, duriùs ira feret.

XX. V.D. JOANNI CANTIO SALACKI,

In Colonia Albæ Ducalis Grammatices Profeſſori.

XXI. V. D. PAULO JOANNI GOLKOWSKI,



Stemma. Solea uncis, intra quam Crux, ungvibus soleam Galeam spectans supra Galeam ales similem tenens.
Cum Lemmate: Cursus solennis erat. Claudianus.

QUòd teneas metam, quam rari tangere visi;
Gaudet honor, plaudit laurea prensa manu.
Id Soleæ factum, duris quâ callibus instas,
Quâ solidam reddis, quam teris ipse viam.
Inde Tuum Cursum votis comitabimur istis,
Ut calces fatum, flectere summa scias.

XXII. V. D. CASIMIRO JARMUNDOWIC,



Stemma. Cor sagittâ transfixum.
Cum Lemmate: Hic jaculo bonus. Virgil.

ESt animus velox, ac si sit tensa Sagitta,
Dum sibi conspicitur celsus honoris apex.
Hos celeres motus in Te jam cernere fas est,
Cùm JARMUNDOWICZ, Pallada corde feris.
Laudamus vulnus pulchrè nam hôc vulnere lædi,
Cùm tales ictus, fama perennis amet.

XXIII. V.D. CAROLO KONDRATOWSKI,

Stemma Gladius supra *Galeam*, *pes.*
Cum Lemmate: *Quis dignior*
Ensis. Apollonius.



JAm veniant hostes, opponant ardua quæquè,
Hôc Gladio Pallas, sternere cuncta potest.
Tam dextrè KONDRATOWSKI, Tua figis arenæ
Arma, quibus Virtus, digna trophæa parat.
Ergò pedem Victor summis alvesce triumphis,
Ad quodvis magnum, nam patet Ense via.

XXIV. V.D. MATTHIÆ WLOCHOWSKI,

Stemma. Luna, supra *quam tres Gladij,*
& binæ Stellæ *cum Lemmate:*
Virtute parata *Astra tenes.* Statius.



TRes Tibi vibranti Gladios sic militat æther,
Armis ut videas sidera flexa Tuis.
Lumina dant Stellæ, subdit sua cornua Phæbe,
Sic geminæ lucis, Tu ignibus Acta probas.
Sed nec sint mentis tantæ, vaga sidera testes,
Quodq; bonum de Te credere quisq; potest.

XXV.

XXV. V.D. STANISLAO GOLANSKI,

Stemma
Avis Soleam ungvibus,
Cum Lemmate:



Gentilitium,
rostrô Annulum tenens.
Hac rara Avis est.
Persius.

JN quibus est animus pulchris à dotibus almus,
In se Phænicis Symbola vera gerunt.
Jngenium est Phænix, & quod Tu mente recondis
GOLANSKI, raris laudibus inde vige.
Scribe Tibi pennis nunquam peritura decoris
Puncta, legi brevibus non decet ista notis.

XXVI. V.D. STANISLAO RAFALSKI,

Stemma Columba, rostrô
Cum Lemmate: secundo



ramum olivæ ferens.
omine. Horatius.

MErgeret unda reum, quando tot fluctibus Orbem,
Nuntia pôst pacis, pulchra Columba fuit.
Hæc Tibi pacati velox fert signa triumphi,
Cùm Te Victorem, tot documenta probent.
Hôc igitur ramo cinctus, procede secundô
Passu, quò poscit, laurea docta caput.

I. V. D. JACOBO BONAVENTURÆ B E L L I, Leop.

Secundæ Laureæ Candidato,

Authori Operis,

In pignus fraterni amoris, & gratitudinis pro ſuſcepto labore,

V. D. JOANNES CANTIUS MAMCZYNSKI, Crac.
Ejuſdem Laureæ Candidatus,
Primum affectûs præſentat documentum.

Stemma *Avitum.*
Leo, ſupra *Galeam*
plumæ *ſtruthionis.*
Cum *Lemmate:*
Pugnant *Virtute*
Leones. Ovidius.



NOn Lybica hunc certè concedit Sylva Leonem,
Herculeæ dextræ, nam foret ille labor.
Iſti quàm facilè cunctas ſit vincere moles,
Hoc doctô nobis, carmine ſignat opus.
Prudenter B E L L I, ſolâ Virtute triumphos
Præparat; ut juſtè laurea ſerta ferat.

Eidem

Eidem Authori Operis.

V. D. NIÇOLAUS PUKINSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus,

Ex vi mutui affectûs votivum addit plausum in Avitum Stemma.

Cum Lemmate:

Par cuiq; prælio.

GLoria magnanimæ gentis, germenq; Leonis
 Eximium, BELLI, clara propago domûs.
Desine jam chordas Citharæ pulsare canoras,
 Te mea pro solido Musa labore canat.
Hoc Tibi robur inest mentis, quô Stemma refulget,
 Omnia dum superas viribûs ingenij.
Hyrcanos alij dicant ex ungve Leones,
 Ex tam disertô noscitur ore tuus.
Hinc Primus certantûm laurea serta capessis,
 Cùm vis sit potior nulla Leone, Duce.
Ergò trophæa feras Victor, tum pectore grato
 Suscipias plausus, hosce JACOBE meos.

Eidem Authori Operis.

V. D. ALBERTUS PLACZKOWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus.

In vim gratitudinis Çoronam Jovis consecrat.

Cùm Lemmate:

Gaudet honor redimire frontem.

SI quem cruentæ vultus adoreæ,
 Si fusus auro miles, & inclyti
  Urunt in argento triumphi,
   Artificis simulante dextrâ.
Sculptæq; laudes, & titulis super
 Afflata Signis, vita Corinthijs
  Cultusq; moresquè & perenni
   Penè loquax sua fama saxô,
Assurgat auro fulgidus Artifex
 JACOBUS auri, Gryphe vigil modo
  Monstratus duplici, nitentes
   Dalmaticâ struat arte turres.

G Novi

I. V. D. JACOBO BONAVENTURÆ B E L L I, Leop.

Secundæ Laureæ Candidato,

Authori Operis,

In pignus fraterni amoris, & gratitudinis pro ſuſcepto labore,

V. D. JOANNES CANTIUS MAMCZYNSKI, Crac.

Ejuſdem Laureæ Candidatus,

Primum affectûs præſentat documentum.

Stemma Leo, ſupra plumæ Cum Pugnant Leones.



Avitum. Galeam ſtruthionis. Lemmate: Virtute Ovidius.

NOn Lybica hunc certè concedit Sylva Leonem,
Herculeæ dextræ, nam foret ille labor.
Iſti quàm facilè cunctas ſit vincere moles,
Hoc doctô nobis, carmine ſignat opus.
Prudenter B E L L I, ſolâ Virtute triumphos
Præparat; ut juſtè laurea ſerta ferat.

Eidem

Eidem Authori Operis.

V. D. NICOLAUS PUKINSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus,

Ex vi mutui affectûs votivum addit plausum in Avitum Stemma.

Cum Lemmate:

Par cuiq; prælio.

GLoria magnanimæ gentis, germenq; Leonis
Eximium, BELLI, clara propago domûs.
Desine jam chordas Citharæ pulsare canoras,
Te mea pro solido Musa labore canat.
Hoc Tibi robur inest mentis, quô Stemma refulget,
Omnia dum superas viribûs ingenij.
Hyrcanos alij dicant ex ungve Leones,
Ex tam disertô noscitur ore tuus.
Hinc Primus certantûm laurea serta capessis,
Cùm vis sit potior nulla Leone, Duce.
Ergò trophæa feras Victor, tum pectore grato
Suscipias plausus, hosce JACOBE meos.

Eidem Authori Operis.

V. D. ALBERTUS PLACZKOWSKI,

Ejusdem Laureæ Candidatus.

In vim gratitudinis Coronam Jovis consecrat.

Cùm Lemmate:

Gaudet honor redimire frontem.

SI quem cruentæ vultus adoreæ,
Si fusus auro miles, & inclyti
Urunt in argento triumphi,
Artificis simulante dextrâ:
Sculptæq; laudes, & titulis super
Afflata Signis, vita Corinthijs
Cultusq; moresquè & perenni
Penè loquax sua fama saxô,
Assurgat auro fulgidus Artifex
JACOBUS auri, Gryphe vigil modò
Monstratus duplici, nitentes
Dalmaticâ struat arte turres.

Novi

Novi Leonem; quem vigor inclytus
Celſiq; candor ſplendidus ingenî,
Athlante majorem docebit,
Penna ſtylo meliore ſcribet.
Hæc illa parci neſcia littoris,
Avara Cæli prodiga munerum,
Lætatur & ſerto virenti
Laureolas pluit aura nimbô.
Doctâ Minervâ, ſcribis adoreas
JACOBE noſtras; hinc tibi Regiæ
Signentur in Cælis Calendæ
Marte ſacro Venerande BELLI.

SUB FELICISSIMO REGIMINE;

Magnifici, Perilluſtris & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. MARTINI WALESZYNSKI,

Sacræ Th: DOCTORIS & Profeſſoris, Collegæ Majoris, Eccleſiarum Collegiatarum; S. FLORIANI Clepardiæ ad Cracov: CANONICI, Scarbimirienſis & S. MICHAELIS in Arce Cracovienſi CUSTODIS, Montis S. GEORGIJ in Scepuſio Præpoſiti, Scholarum Novodvorſcianarum & Contubernij Hieroſolimitani PROVISORIS, Studij Almæ Univerſitatis Crac: Generalis ac Vigilantiſſimi

RECTORIS.